



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Insulæ Occidentales Siciliae, seu Ægades.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

plerisque earum erumpentes.

*Quarto*, denique *Plote* apud Scymnum, quòd in medio earum navigatio circumflectatur: in singulari numero tamen vna dicitur *Plota* quòd ad instar *Deli* circumageretur, vt ait *Eufstathius* in *x. Odyf.*

**NUMERVS.** In quatuor opiniones de earum numero veteres distracti sunt.

*Quinque* admittit tantum *Appianus* 5. ciuiliū.

*Septem* recipiunt *Aristoteles*, *Scymnus*, *Strabo*, *Diodorus*, *Mela*, *Plinius*, & plerique alij.

*Notem*, *Isidoro* dicuntur esse: *Seruius* locutus est inconstanter, nam modò nouem, modò septem numerauit.

*Quindecim* denique nominat *Ptolemæus*, sed accenset *Æoliis* eas, quæ verè non sunt *Æoliæ*.

**QUALITAS.** Earum solum igneum est, ideò *Solinus* putat cap. 12. eas mutuari *Æthnæ* incendia, aut subministrare, certè *Isidorus* ait eas ardere instar *Æthnæ*: notatque *Diodorus* in plerisque earum videri crateres, quibus flammam olim euomuerunt. Celebrissimæ sunt victoriâ *Duillij* contra *Pœnos*.

**N V M. 2.** *Insule Occidentales Siciliae, siue Aegades.*

**PERPERAM** *Aegates* appellantur à quibusdam, apud *Polybium* *Ægusæ* dicuntur, ad quas victor *Lutatius Catulus* de *Pœnis*, vt ait clarè *Cornelius Nepos*, & ex *Polybij* verbis libro 1. intelligitur. Nam de pugnâ *Lutatij* agens meminit *Hieræ Insulæ*, & *Ægusæ* *Lilybæo* oppositæ. Describi quoque videntur ab *Homero* 9. *Odyf.* vt satis bene conficit *Cluuerius*, ac proinde *Polyphemi* fuere sedes hæ *Insulæ*. Denique *Seruius* ad illud 1. *Æneid.*

*Saxa vocant Itali mediis qua in fluctibus Aras,*

ait *Aras* illas esse *Ægades Insulas* veriùs scopulos inter *Siciliam*, & *Africam* vbi deuicti sunt *Pœni* à *Lutatio Carulo* bello 1. *Punico*; & notat ideò dictas *Aras*, quia in his *Pœni* cum populo *Ro.* percussere fœdus, & ideò vocari à *Sifenna Popilias Aras*: Nomen autem recepisse à *Capris* innuit vna ex iis *Ægusa* dicta Latine *Caprariâ*, de quâ mox agemus.

PRO